Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2643
Quelle:
Copyright:

in quibus et de personis seu ministris a quibus et de indumentis cum quibus huiusmodi officia exercentur &c. expositisque Templorum ornamentis, Ministrorum gradibus, Sacerdotum et Episcoporum Vestibus, Ritibusque Sacrificii definit imperfectus in explanatione *Canonis*. Et hunc Tractatum sub lemmate: *De Officiis, locis et personis ad sacra deputatis*, a *Fabricio* adscribi video *Henrico* praedicto *de Hassia* sive *Langenstein*.

XIII. *fol.* 367. Opusculum de Potestate Clavium in Ecclesia, nobis simpliciter inscriptum: *Tractatus Magistri Hainrici de Hassia*. Initium est: *Tibi dabo claves regni celorum. Mat. 16. Hoc cuilibet dicitur confessori qui habet potestatem absoluendi confitentes a peccatis* &c. Ad calcem subditur: *Explicit tractatus magistri Hainrici de Hassia egregij doctoris ac professoris sacre theologie*. Quo eum facilius ab *juniore* hujus nominis *Carthusiano* distinguas. Mstum hoc nostrum adlegatur a *Fabricio*.

XIV. *fol.* 378. Agitur breviter de *Matrimonio*, ejusque *Impedimentis*, et pingitur nota *Consanguinitatis Arbor* cum suis regulis.

DCXCI.

151 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 128. f. per duas columnas currente calamo scriptus complectitur *Sermones LXVI.* in varias Dominicas, aliaque per annum festa, quorum Primus in illud *Lucae* 19. *Cum appropinquaret Jesus ierosolymis* &c. ad Adventum Domini praeparat hoc initio: *Aduentum Domini recolentes scientes eum venisse in carne pro salute nostra* &c. Ultimus mutilus vero in illud *Matth.* 18. *Assimilatum est regnum coelorum homini regi* &c. quod *Dom.* XXI. post *Pentec* in ecclesia legitur, incipit: *Dyabolus seruos suos si wlnerentur non curat sed wlneratos pertrahit ad sepulchrum eterne mortis* &c. Autor nullibi proditur, nec operae pretium est, multis in eum inquirere; Academiae tamen Vindobonensis membrum olim fuisse putem. Codex in principio sic inscriptus est: *iste liber datus est ecclesie Ardacensi ex parte Domini Chunradi Hindernpach plebani In ybs et canonici ecclesie S. Stephani wienne et olim decani ac canonici prefate ecclesie ardacensis*. Ecclesiae Collegiatae hujus *Literas Fundationis* ab an. 1049. et *Statuta* habes in *Raym. Duellii Miscell.* L. I. p. 105. Nunc nihil nisi Praepositi Titulus restat.

DCXCII.

Codex chartaceus lat. Sec. 165
XV. Folior. 272. f. per duas columnas scriptus et rubricatus continet *Sermones de Tempore et de Sanctis* per totum annum, incipiendo a *Dominica I. Adventus*. Autorem aliquatenus produnt fugientia haec in theca *Cod.* anteriori adscripta verba: *S. de tempore et sanctis Egre: doctoris Wnc. olim Ecclesie Pragensis Admini-*